

Juppiter, æterno qui temperat omnia nutu.

Haud memoras ignota Jovi, aut indebita poscis.

Me tua jamdudum, immeritis absiste querelis,

Damna movent: jamdudum omnis miratur Olympus

Tot merita egregii juvenis, mentemque, animumque,

Et sanctos mores, & natum ad grandia pectus.

Non tamen ille tuæ tam dura incommoda genti

Avertet, non ille tuis regnabit in oris.

Fata vetant, Regemque olim Fortuna petenti

Quem dedit, hunc folio firmum servabit in alto.

Nec quidquam immotis cives ob sistere fatis

Tentabunt, iterumque, iterumque in regna vocantes;

Heroique tuo regalia sceptræ parantes.

Regnabit, sed longe illum felicior olim

Regali gens excipiet diademate cinctum,

Jamque seni longos plaudens parebit in annos.

Ipse autem & regnis longe majora eaducis

Adjiciam, ac Divum æterno dignabor honore.

Quin fortis dum tanta tuæ te cura remordet,

Pro caro dum tantus amor tibi servet aluinno,

Venturam rerum seriem, meaque omnia pandam

Consilia evolvens, & fata arcana docebo.

Principio ne pronam, alto quæ sifstat Olympo,

Rere viam, & facilem. Tristes exerceat inter

Fas acrem casus mentem, duroisque labores

Perferat infragilis, qui Cælum, & sidera tentat

Ardua, Divumque æternos affectat honores.

Idem antem & fortis vultu quandoque sereno

Gaudeat, adversis ne concidat, atque secundis

Immodicum ne se mens efferat: unus, & idem

Forti animo, placido persistat oportet & ore.

Casibus in variis, quem Jupiter æquus Olympo

Inserere, & possit Dis immortalibus olim

Addere mortalem: sic scilicet itur ad Astra.

Ipse etiam quæ dura pericula, quoque labores

Sustinuit, mea progenies, quisque casibus actus